



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CXLIII. De Secunda dictae Civitatis insulae S. Mariae destructione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ordinis Teut.
Conradus à Tierberg Sen. IX. Mag. Provinc. Prussiae.*

PRutheni nec dum satiati sanguine Christiano iterum parant arma ad occidendum & flagellandum & crucefigendum Christi fideles, ut sic veniret super eos omnis sanguis Justus, qui effusus est in terra Prussiae pro defensione fidei Christianae. Congregati ergo cum multitudine copiosa bellatorum infra secundam Apostasiam processerunt contra Civitatem Insulae S. Mariae & ordinatis insidiis ad locum competentem, pauci compaerunt, quos fratres & Cives cum armigeris suis sequentes in Campo, qui est inter Civitatem & molendinum, hostiliter invaserunt, plures occidentes & lethaliter vulnerantes, & cum jam sperarent eos deleri usque ad internecionem, Prutheni, qui ad Insidias locati fuerant, eruperunt, & omnes fratres & cives interfecerunt, praeter paucos, qui confugerant ad Civitatem, quos hostiliter sequebantur, & post modicam impugnationem, civitatem expugnaverunt, & partim captis, aliis trucidatis, reliqui ad castrum fugerunt & salvati sunt. Destructa ergo civitate funditus incendio cum praeda maxima recesserunt.

CAP. CXLIII.

DE

Secunda dictae Civitatis insulae S. Mariae destructione.

REaedificata civitate Insulae S. Mariae per fratres cum magnis laboribus & expensis, accidit, quod Prutheni cum immenso Exercitu depopulata terra Colmensi processerunt ad Castrum Belichovv cujusdam Nobilis de Pomesania, dicti Jonis filii Sargini situm supra Oslam, de quo Castro exiit Fr. Conradus Sverus, de Elbingo cum multis armigeris, & habuit contra ipsos

Hh

hasti-

*Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gener. Ord. Teut.
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Provincialis Prussia.*

hastiludium, in quo plures ex utraque parte fuerant vulnerati. Quo facto accesserunt ad Civitatem Sanctæ Mariæ, & post longam & duram impugnationem iterum ipsam penitus destruxerunt, quibusdam fugientibus ad Castrum, aliis in quodam propugnaculo Civitatis se defendentibus salvati sunt, cæteri capti sunt & occisi.

CAP. CXLIV.

De

Ædificatione castri Starkenberg & morte plurium Christianorum.

HOc tempore Frater Anno Magister generalis Ordinis domus Teutonicæ mandavit Magistro & Fratribus de Pruschia, ut castrum in terminis Colmenis & Pomesaniensis diocesium super Ossam ædificarent. Ipse enim castrensibus vellet abundanter in necessariis providere. Ad cujus ædificationem Magister multum populum convocavit, & dum quilibet ibi in officio sibi injuncto laboraret; supervenit exercitus Pruthenorum improvisè & totam illam multitudinem interfecit. Sed longè postea iterum Magister populum convocavit, & tunc ædificationem dicti castri per Dei gratiam consummavit, vocans ipsum (a) Starkenberg, quod latinè dicitur, fortis mons, & multos fratres & armigeros ad ejus custodiam deputavit.

ANIMADVERSIO.

(a) Castellanus sive Præfectus ejus arcis videtur primum obtinisse locum inter Præfectos arcium. Cum enim ex more omnes Magistratus Ordinis Teutonici in Prussia singulis annis officii sui insignia adeoque ipsa officia in manus superiorum Magistratum seu Præceptorum majorum traderent, Castellanus Starkenbergensis simul